

Ferienprogramm VIII (21.9.)

Latein-Deutsch: Informieren Sie sich über Ovids *Tristia* und über die besonderen Ehrungen, die Augustus erhalten hat. – Wiederholen Sie die bisher herausgeschriebenen Vokabeln.

Deutsch-Latein: Informieren Sie sich über Ciceros Situation nach der Rückkehr aus dem Exil und über seine Rede: *De domo sua ad Pontifices*. – Und immer weiter in *moodle* ...

Ov. trist. 3,1

"Missus in hanc uenio timide liber exulis urbem
da placidam fesso, lector amice, manum;
neue reformida, ne sim tibi forte pudori:
nullus in hac charta uersus amare docet.
Haec domini fortuna mei est, ut debeat illam
infelix nullis dissimulare iocis.
Id quoque, quod uiridi quondam male lusit in aeuo,
heu nimium sero damnat et odit opus.
Inspice quid portem: nihil hic nisi triste uidebis,
carmine temporibus conueniente suis.
Clauda quod alterno subsidunt carmina uersu,
uel pedis hoc ratio, uel uia longa facit;
quod neque sum cedro flauus nec pumice leuis,
erubui domino cultior esse meo;
littera suffusas quod habet maculosa lituras,
laesit opus lacrimis ipse poeta suum.
Siqua uidebuntur casu non dicta Latine,
in qua scribebat, barbara terra fuit.
Dicite, lectores, si non graue, qua sit eundum,
quasque petam sedes hospes in urbe liber."
Haec ubi sum furtim lingua titubante locutus,
qui mihi monstraret, uix fuit unus, iter.
"Di tibi dent, nostro quod non tribuere poetae,
molliter in patria uiuere posse tua.
Duc age, namque sequar, quamuis terraque marique
longinquo referam lassus ab orbe pedem."
Paruit, et ducens "haec sunt fora Caesaris," inquit,
"haec est a sacris quae uia nomen habet,
hic locus est Vestae, qui Pallada seruat et ignem,
haec fuit antiqui regia parua Numae."
Inde petens dextram "porta est" ait "ista Palati,
hic Stator, hoc primum condita Roma loco est."
Singula dum miror, uideo fulgentibus armis
conspicuos postes tectaque digna deo.
"Et Iouis haec" dixi "domus est?" Quod ut esse putarem,
augurium menti querna corona dabat.
Cuius ut accepi dominum, "non fallimur," inquam,

"et magni uerum est hanc Iouis esse domum.
Cur tamen opposita uelatur ianua lauro,
cingit et augustas arbor opaca comas?
Num quia perpetuos meruit domus ista triumphos,
an quia Leucadio semper amata deo est?
Ipsane quod festa est, an quod facit omnia festa?
Quam tribuit terris, pacis an ista nota est?
utque uiret semper laurus nec fronde caduca
carpitur, aeternum sic habet illa decus?
Causa superpositae scripto est testata coronae:
seruatos ciuis indicat huius ope.
Adice seruatis unum, pater optime, ciuem,
qui procul extremo pulsus in orbe latet,
in quo poenarum, quas se meruisse fatetur,
non facinus causam, sed suus error habet.
Me miserum! Vereorque locum uereorque potentem,
et quatitur trepido littera nostra metu.
Aspicis exsanguis chartam pallere colore?
Aspicis alternos intremuisse pedes?
Quandocumque, precor, nostro placere parenti
isdem et sub dominis aspiciare domus!"
Inde tenore pari gradibus sublimia celsis
ducor ad intonsi candida templa dei,
signa peregrinis ubi sunt alterna columnis,
Belides et stricto barbarus ense pater,
quaeque uiri docto ueteres cepere nouique
pectore, lecturis inspicienda patent.
Quaerebam fratres, exceptis scilicet illis,
quos suus optaret non genuisse pater.
Quaerentem frustra custos me sedibus illis
praepositus sancto iussit abire loco.
Altera templa peto, uicino iuncta teatro:
haec quoque erant pedibus non adeunda meis.
Nec me, quae doctis patuerunt prima libellis,
atria Libertas tangere passa sua est.
In genus auctoris miseri fortuna redundat,
et patimur nati, quam tulit ipse, fugam.
Forsitan et nobis olim minus asper et illi
euictus longo tempore Caesar erit.
Di, precor, atque adeo (neque enim mihi turba roganda est)
Caesar, ades uoto, maxime diue, meo.
Interea, quoniam statio mihi publica clausa est,
priuato liceat delituisse loco.
Vos quoque, si fas est, confusa pudore repulsae
sumite plebeiae carmina nostra manus.

Cic., de domo sua ad pontifices

[...] Cum de mea dignitate (*d.h. über die Rückberufung*) in templo Iovis Optimi Maximi senatus frequentissimus uno isto (= *Clodius*) dissentiente decrevisset, subito illo ipso die carissimam annonam (*annona = Getreidepreis; Getreideversorgung*) necopinata vilitas consecuta est. (15) [...] quae quia rursus in meo reditu facta erat durior, a me, cuius adventu fore vilitatem boni viri dictitarant, annona flagitabatur. Ego denique non solum ab operis tuis (*opera = Arbeiter; Helfershelfer*) impulsu tuo (*angesprochen ist Clodius*) nominabar, sed etiam depulsis ac dissipatis tuis copiis a populo Romano universo, qui tum in Capitolium convenerat, cum illo die minus valerem, in senatum nominatim vocabar. (16) Veni exspectatus; multis iam sententiis dictis rogatus sum sententiam; dixi rei publicae saluberrimam, mihi necessariam. Petebatur a me frumenti copia, annonae vilitas: possem aliquid in ea re necne ratio non habebatur. Flagitabar bonorum expostulatione, improborum convicia sustinere non poteram. Delegavi amico locupletiori (*einflussreicher; gemeint ist Pompeius*), non quo illi ita de me merito onus illud imponerem – succubuissem enim potius ipse – sed quia videbam, id quod omnes, quod nos de Cn. Pompeio polliceremur, id illum fide consilio virtute auctoritate felicitate denique sua facillime perfecturum.

[...] (18) [...] Negat (*Clodius*) oportuisse quicquam uni extra ordinem decerni. Non iam tibi sic respondebo ut ceteris, Cn. Pompeio plurima, periculosissima, maxima mari terraque bella extra ordinem esse commissa; quarum rerum si quem paeniteat, eum victoriae populi Romani paenitere. (19) Non ita tecum ago; cum his haec a me haberi oratio potest, qui ita disputant se, si qua res ad unum deferenda sit, ad Cn. Pompeium delaturos potissimum, sed se extra ordinem nihil cuiquam dare; cum Pompeio datum sit, id se pro dignitate hominis ornare et tueri solere. Horum ego sententiam ne laudem, impediatur Cn. Pompei triumphis, quibus ille, cum esset extra ordinem ad patriam defendendam vocatus, auxit nomen populi Romani imperiumque honestavit: constantiam probo, qua mihi quoque utendum fuit, quo ille auctore extra ordinem bellum cum Mithridate Tigraneque gessit.

[...] (26) [...] mihi populo Romano implorante, senatu poscente, temporibus rei publicae flagrantibus non licuit de salute populi Romani sententiam dicere? (27) Qua quidem in sententia si Cn. Pompei dignitas aucta est coniuncta cum utilitate communi, certe laudandus essem, si eius dignitati suffragatus viderer, qui meae saluti opem et auxilium tulisset. Desinant, desinant homines isdem machinis sperare me restitutum posse labefactari, quibus antea stantem perculerunt. Quod enim par amicitiae consularis fuit umquam in hac civitate coniunctius quam fuimus inter nos ego et Cn. Pompeius? quis apud populum Romanum de illius dignitate inlustrius, quis in senatu saepius dixit? qui tantus fuit labor, quae simultas, quae contentio, quam ego non pro illius dignitate susceperim? qui ab illo in me honos, quae praedicatio de mea laude, quae remuneratio benivolentiae praetermissa est? (28) Hanc nostram coniunctionem, hanc conspiracy in re publica bene gerenda, hanc iucundissimam vitae atque officiorum omnium societatem certi homines fictis sermonibus et falsis criminibus diremerunt, cum idem illum, ut me metueret, me caveret, monerent, idem apud me mihi illum uni esse inimicissimum dicerent, ut neque ego ab illo, quae mihi petenda essent, satis audaciter petere possem, neque ille tot suspicionibus certorum hominum et scelere exulceratus, quae meum tempus postuleret, satis prolixè mihi polliceretur.